69

DISPUTATIO JURIDICO-GEOGRAPHICA

De

INSULIS

quam

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi

DN. SAMUELIS REYHERI,

U.J.D. & Prof. Extraord. Mathemat.
Sup. & Infer. Profess. Ordin.

RESPONDENS

NICOLAUS BESELIN/

Slesvicensis

publicæ Eruditorum censuræ exponet

Die XVI. Septembr.

In Auditorio Juridico.

KILIÆ,
Imprimebat Joachimus Reumann, Acad. Typogr.
M.DC.LXXVI.

Prooemium.

VEram Jurisprudentiam omnium Disciplinarum Reginam esse, inter alia ex eo patet, quod non tantum de rebus profanis, sed etiam Sacris Leges condere soleat, & hinc meritò definitur per Rerum divinarum & humanarum notitiam. *§.1.Inst.de Just.& Jur.* Agitur autem de rebus Sacris inter alia præcipuè in titulis prioribus Codicis: Ut nihil jam dicamus de Corpore Juris Canonici, quod fermè totum in rebus religiosis, & Deo dicatis, occupatum est. Ad res profanas quod attinet, tantus se aperit oceanus, ut non immeritò nonnulli JCti integros tractatus de Juris Romani difficultate, composuerint. (*Julius Pacius & Eberhardus Speckhan de Difficultate Juris Romani, ejusq; causis & remediis.*) Sepositis nunc iis, quæ propriè & primario ad Jurisprudentiam spectant, nempe Actionibus Moralibus, nemini ignotum esse putamus, rerum Medicarum & Physicarum cognitionem JCtis quadantenus necessariam, aut ad minimum utilem esse, ut ea intelligant, quæ à Legislatoribus de Partu legitimo, de Morbis, de Vulneribus, de Philtris, de Chirurgorum atq; Medicorum operationibus, de Medicamentis, de Venenis, & aliis similibus, proponuntur: Plurima quoquè adduci possent, quæ ad Metaphysicam, & alias Disciplinas Philosophicas ac Philologicas spectantia in Legibus occurrunt; Verùm prolixitatis evitandæ gratia, iis quoque missis, Mathematicas Scientias & Artes assumimus, & licet innumera ad

Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Chronologiam, Geographiam, Opticam, Stathmicam, Mechanicam, Hydraulicam, Architecturam &c. pertinentia occurrant, Unicum tamen nunc exemplum ex Geographia & Geodæſia illuſtrandum, nimirum Jura de Inſulis, ſpeciminis loco in medium prolaturi ſumus, ut aliquo modo inde appareat per Mathematicos pariter cum Maleficis condemnatos *Leg. 2 & 5. C. de Malefic. & Mathemat.* non Geometras, Aſtronomos, Architectos, aut ſimiles utiliſſimarum ſcientiarum & Artium ſectatores, ſed Necromantos, Chaldæos, alioſq; homines ſuperſtitioſos, ſub honeſto Matheſeos titulo ſimplicioribus imponentes, intelligi. Examinabimus autem Inſulas juxta ſequentia capita, quorum *I. De Definitionibus Inſularum*, *II. De Diviſionibus*, *III. De Inſulis Marinis*, *IV. De Inſulis Fluminum*, *V. De Inſulis in lacu & ſtagno natis*, *VI. De Inſulis natantibus*, *VII. De Inſulis artificialibus*. *VIII. De præcipuis Actionibus ratione Inſularum competentibus*, *aliiſq; quibusdam juribus ad Inſulas ſpectantibus.*

Cap. I.

De Definitionibus Inſularum.

Thes. I.

Vox Inſulæ, ut quidam volunt, à Salo, hoc eſt, mari originem trahit, ideo quod in mari ſitæ ſint Inſulæ, Iſidor. *lib. 14. cap. 6.* Ratio hujus denominationis eſt, quod olim Inſula non erat niſi maris, teſte Calvino Voce *Inſula*; Verùm hodie Inſulæ appellatio non ſolum marinis, ſed & fluvialibus competit, ideo alii malunt à ſolitudine dictam. Prior tamen nobis videtur tolerari poſ-

ſe, ſi dicamus, ſecundum tritum illud, à potiori denominationem ſumi. Pleraſque enim Inſulas in Mari ſitas reperies, de quibus plura apud Geographos. Germani latinam appellationem retinere videntur, dum hujusmodi terras Inſeln vocant, niſi quis fortè hoc nomen ex germanis fontibus deducere, & ſic Inſeln quaſi Einſeln / hoc eſt, particulares aut ſingulares terras dictas eſſe velit. Hanc appellationem ſtabilire videtur appellatio Montis altiſſimi in Thuringia, quem Inſelbergk ſive Einſelbergk vocant, quia ſolus ſupra omnia ſylvæ Thuringicæ cacumina, caput ſuum extollit. In ſuperiori tamen Germania Inſulas fluviales & ſtagnales vocant Werd / ſive Werder; Belgis convenientisſimè audit ein Eyland.

II.

Inſulæ non ſolum de terris aqua circumdatis, ſed & de Domibus accipiuntur, ſecundum Feſtum, qui *Lib. 9. de Verb. Sign.* inquit, Inſulæ dictæ, quæ non junguntur communibus parietibus cum Vicinis, circuituque publico aut privato cinguntur, à ſimilitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari eminent, ſuntque in ſalo poſitæ. Et hæc ſignificatio frequentisſima & familiarisſima eſt JCtis & Hiſtoricis *l. 84. ff. d. Verb. Oblig. l. 11. §. 9 & 10. ff. de Public. in Rem Act. l. 4. §. 6. ff. de Damn. infect. l. 2. §. 14. ff. ne quid in loc. publ.* Gellius *lib. 15. cap. 1.* Vitruvius *lib. 2. cap. 9. §. 49.* ubi ſic ſcribit: Tabulæ in ſubgrundiis circum Inſulas ſi eſſent ex materia larigna collocatæ, ab trajectionibus incendiorum periculo ædificia liberarētur, quod eæ nec flammam nec carbonem poſſunt recipere, nec facere per ſe:

Inſula ſive Inſulæ eſt Urbs præclara Flandriæ in Arteſiæ & Hannoniæ confiniis, Belgis dicitur Riſſel.

Insula Franciæ (*l' isle de France*) una ex præcipuis Franciæ Provinciis, cujus Metropolis est Lutetia Parisiorum. *videatur Ferrarii Lexicon Geographicum editum à Michaele Antonio Baudrand*, ubi plures Insulæ notationes Geographicas adducit.

III.

Nos hoc loco mittimus architectonicam & retinemus Geographicam Insulæ significationem, de qua Bartolus in Tractatu suo *de Tyberiade sive de fluminibus & Insula lib.3.* primario agit, ubi Insulam definit *ex l.56. §.1.ff. de adquir. rer. dom.* per locum aquis circumdatum, qui, cum desinit circumdari, desinit esse Insula. Geographi commodius definiunt per partem telluris, undique aquis terminatam.

Cap. II.

De Divisione Insularum.

Thes. I.

Insularum varia dantur genera, primo quidem aliæ Insulæ sunt naturales, aliæ verò artificiales; Naturales vocantur, quas natura sine hominum opera produxit; Artificiales, quas homines ædificant vel efficiunt, & quidem duobus modis, vel in mari aut flumine molem exstruendo, vel terras maris eminentiores aggere aut vallo contra impetum & fluctus maris muniendo. Ad illum modum referri posse putamus plerasque Insulas Venetas, Attilæ tempore exstrui cœptas, nec non aliquas Insulas Batavicas. Ad posteriorem speciem reducimus Insulas in littore occidentali Chersonesi Cimbricæ factas, quas communiter eingedeichte Lande vocant:

Secun-

Secundo naturales Insulæ dividuntur in primas & ortas. Primæ sunt, quæ ab initio creationis, aut saltem à finito diluvio, exstiterunt; ortæ autem, quæ post illa tempora natæ sunt, & quidem duobus modis; primo, quando ex fundo maris terræ motu insula surgit, quod quidem, *juxta* §. 22. *J. de Rer. Div.* raro fit; Deinde si terræ motu isthmus Insulam cum continente, aut cum alia insula connectens tollatur, quemadmodum nonnulli putant Angliam à Gallia, Siciliam ab Italia, Ceylon & Sumatram ab Asia separatas fuisse.

II.

Obiter hic notandum, arte interdum isthmos tolli, & in freta mutari: Et hoc modo ex isthmo Gaditano fretum Herculeum factum esse autumant. Tentârunt quoque nonnulli Reges & Principes perfodere isthmos, verùm vel natura vel etiam rationibus politicis impediti, mentem mutare coacti sunt, de quibus videri possunt Philippus Honorius *Thesauro Politico Volum. 2. ubi de Africa ejusq; isthmo agit pag. 241.* Et Varenius *Geograph. general. cap. 13. propos. 5. pag. 145, 149, nec non pag. 326.*

III.

Porro omnia hæc Insularum genera dividi possunt in marinas, fluviales & stagnales.

IV.

Ratione motus aliquæ sunt fixæ, quæ semper eodem loco hærent; aliquæ verò mobiles, quæ vento & fluctibus agitantur, & interdum peninsularum speciem imitantur.

V.

Ratione temporis quoque dividi possent, in perpetuas & temporales: Perpetuas vocamus, quæ semper aquis cin-

ctæ ſunt: Temporales verò, quæ certis ſaltem temporibus continenti adhærent, interdum verò aquis interfluentibus ab eadem ſeparantur, quod accidere poteſt in æſtuariis, ubi fluxu maris accedente apparent Inſulæ, refluxu verò Inſulæ eſſe deſinunt, ita quoque in Ægypto propter inundationem Nili anniverſariam, eminentiores terræ partes interdum inſulas, interdum verò colles repræſentant.

VI.

Tandem ratione magnitudinis & numeri Inſulas dividunt in Maximas, Mediocres, Parvas & Minimas; nec non in ſolidarias & agmina Inſularum, de quibus prolixè videri poſſunt Geographi & præcipuè Varenius.

Cap. III.

De Inſulis Marinis.

Thes. I.

Præmiſſis generaliter Inſularum definitionibus & diviſionibus, in ſpecie jam erit agendum de Inſulis marinis, quæ, uti ſupra audivimus, vel primæ vel ortæ ſunt, & hæ iterum vel naturales vel artificiales.

II.

De primis nondum ab aliquo occupatis nunc quæritur, cujus ſint, & reſpondetur *ex l. 7. §. 3. ff. de acquir. rer. dom.* eſſe nullius, ac propterea Jure Gentium, quod hîc in parte à Jure Romano confirmatum eſt, cedere occupanti. Simili modo legimus *Geneſeos 10. verſu 5.* Japheti poſteros Inſulas Gentium, ſive Maris Mediterranei & Archipelagi occupaſſe.

III.

His obſtare videtur primo *l. 99. ff. de Verb. Signif.* ubi

Inſu-

Insulæ Marinæ ad vicinam continentem pertinere dicuntur, *ex. gr.* Siciliá, quia exiguo freto separatur à continente, dicitur pertinere ad Italiam. Bartolus *Lib. 3. Tyberiad.* putat Insulas, quæ modico spatio distant à Provincia aliqua, ad eandem pertinere: Modicum autem spatium extendit ad 100 milliaria Italica, quæ æquipollent 25 milliaribus Germanicis, & suæ sententiæ rationem petit inter alia ex *c. Nonnulli. 28. X. de Rescript.* quod modicum spatium videtur determinare per duas diætas, & intra duas diætas plus quam centum milliaria per mare confici posse putat: Cujus consequentiæ robur nos in medio relinquimus.

IV.

Bartolus *cit. loc.* ulterius dicit insulam etiam remotiorem propter intermediam insulam ad Provinciam aliquam referri debere, *ex. gr.* Sardiniam spectare ad Italiam, quamvis ultra centum milliaria ab eadem distet, quia vicinam habet Insulam Corsicam, quæ propter modicum intervallum ad Italiam pertinet. *arg. l. pen. §. 3. ff. de acquir. Rer. Dom.*

V.

Sed respondemus *alleg. leg. 99. ff. de Verb. Sign.* intelligi posse de Dominio eminente & Jurisdictione, respectu cujus omninò videtur Insula referri debere ad vicinam continentem, nisi certa Juris & Possessionis determinatio obstet. *Lex verò 7. §. 3. ff. de acquir. rer. dom.* nobis videtur primario loqui de dominio privato.

VI.

Occurrunt & alii modi in Historiis, quibus insularum dominia à Populis quibusdam fuerunt probata. Sic aliquando inter Athenienses & Megarenses contentio fuit, de Insula Salamine: Critolaide, Amomphareto & Cleomene

Lacedæmoniis ſumptis arbitris, pro Athenienſibus Solone, pro Megarenſibus Herea cauſam dicentibus, Inſulam Athenienſium eſſe pronunciatum eſt: Quod, qui Inſulam habitabant, in ſepeliendis mortuis ritum Athenienſium, non Megarenſium ſequerentur, cum haberent ſepulcra ad orientem poſita, corpora ad orientem ſolem converſa, inſculptaque familiarum nomina, quorum adhuc moribus utebantur. Non diſſimile fuit de Mona ſeu Mannia Inſula judicium, de qua, uti tradit Garaldus Cambrenſis, cum medio libramine inter boreales Hiberniæ & Britanniæ partes porrecta eſſet, utri terrarum applicari de jure debuerit, ab antiquis non mediocriter ambigebatur: Demum in hunc modum lis quievit: quippe cum Hibernia venenoſa animalia non ferat, compertum eſt, hanc Inſulam vermes venenoſos, periculi cauſa advectos, admiſiſſe: itaque Britannis applicandam communis cenſura dictitavit. *Ærodius & Camdenus citante Richarto Zoucheo de Jure inter Gentes part. 2. Sect. 3. quæſt. 5.*

VII.

Obiter hic notandum, inſulas aliquas parvas Jure Gentium quaſi hodiè pro communibus haberi, ejusmodi ſunt Inſula Mauritii in Oceano Indico, Inſula aſcenſionis, & præcipuè Inſula Sanctæ Helenæ in oceano Æthiopico, quia enim hæc ultima Anglis, Luſitanis, Belgis, Gallis, aliisq; ex India Orientali redeuntibus ſummè utilis, & tantùm non neceſſaria eſt, propter aquationes, & aliàs recreationes, ideò dicti Populi illam Inſulam adhuc nullius eſſe voluerunt.

VIII.

De Inſulis Americanis quoque obſervatu dignum, quod Pontifex Romanus Alexander VI ſibi Imperium in

illas

illas adrogaverit, & propterea Regibus Hispaniæ donaverit, unde, cum anno 1580. Franciscus Dracus orbe circumnavigato in Angliam rediisset, Regis Hispani Legatus hâc de re conquestus est; Sed optimo jure Angliæ Regina Elisabetha dominium hoc agnoscere noluit, teste Camdeno. Eodem jure ultimus Ingarum sive Regum Peruvianorum Attabaliba contradixit, & ludibrio habuit hanc donationem à Pizarro sibi objectam, dum Papæ insipientiam & stoliditatem satis mirari haut potuit, quod de alieno tam liberalis Regi Hispaniæ regna, quæ nunquam vidisset, multo minus in potestate habuisset, donare ausus fuerit. Teste Hieronymo Benzone *Lib. 3. de America*, conferatur etiam Grotius *de mari libero cap. 3.* cum auctoribus ibi allegatis.

IX.

Ad insulas ortas quod attinet, rarò tales in oceano nasci Gajus *L. 7. §. 3, ff. de acquir. rer dom.* nec non Imperator *in §. 22. J. de rer. div.* testantur, Exempla tamen nonnulla in historiis reperiuntur. Livius enim *circa finem lib. 39.* tempore Cnei Bæbii & L. Æmilii Pauli Coss. anno nempe ante natum Christum 180 haut procul Sicilia insulam, quæ ante non fuerat, novam editam è mari esse, scribit, Plinius *lib. 2. cap. 86. & 87.* plura insularum novarum exempla recenset. Nec non Baptista Aymus Parmensis & Albericus Gentilis, quos citat Gryphiander de Insulis *cap. 6.* Memoratu dignissimum verò exemplum habet Kircherus in mundo suo subterraneo *lib. 2. cap. 12.* ubi narrat stupendam insulæ novæ, propè insulas Flandricas sive Azores, nativitatem, ubi anno 1638 in profundissimo oceano præcedente ignivomo terræ motu apparuit insula quinque milliaria longa.

X.

Non tantum autem insulæ nascuntur, sed sæpius etiam veteres insulæ pereunt, aut transmutantur: Pereunt autem duplici modo; aut subito quodam terræ motu, aut maris impetu, cujusmodi multa exempla ex Plinio, aliisq; Historicis allegat Gryphiander de Insulis *cap. 29.* Anno 1634. Insula Ducatus Slesvicensis Nortstrandia maris impetu, parvo temporis spatio fermè tota suffocata est. Aut etiam lenta eluvione. Omissis jam peregrinis exemplis vicinam Cimbriæ insulam Helgolandiam adducimus, quæ quotidiè decrescit, & procul dubio post aliquot secula, nisi generalis terræ interitus prævenerit, consumetur: unde non immerito aliqui putant, ante nongentos annos eandem ferme ducenties majorem fuisse, de quibus videri potest Danckvvertus *in Descriptione Ducatuum Slesvigæ & Holsatiæ.*

XI.

Quemadmodum ex Peninsulis sublato isthmo fiunt insulæ, ita quoque interdum insulæ propter fretorum obturationem degenerant in peninsulas, sic Pharum Ægypti Insulam partim natura, partim verò arte Ægypto junctam Mela *de Situ Orbis Lib. 2. cap. 7.* conjicit.

Cap. IV.

De Insulis Fluminum.

Thes. I.

Post marinas de fluvialibus Insulis aliqua nunc erunt dicenda, de quibus supra monuimus, quod sint vel naturales vel artificiales: missis jam artificialibus, de naturalibus despiciemus.

II. Hæ

II.

Hæ in flumine tribus modis fieri possunt, *secundùm l. 30. §. 2. ff. de acquir. rer. dom.* Primò, cum circumdatur ager, qui alvei non fuit, secundo cum alveum relinquit siccum, & circumfluere cœpit, tertio cùm paulatim alluendo locum eminentem supra alveum facit.

III.

De primo modo dicit *l. all. 30. §. 2. l. 1. C. de Alluv. & §. 22. J. de Rer. Div.* quod ager alicujus ita aqua circumdatus prioris Domini permaneat, ratio additur, quia tunc causa proprietatis non mutatur.

IV.

Secundo casu, si scilicet aqua alveum relinquit siccum & circumfluendo Insulam facit, expediti juris est, veterem istum alveum eorum esse, qui propè ripam prædia possident, observata tamen latitudine cujusque agri, qui ad flumen situs est. *d. l. 30. §. 2. ff. de acquir. rer. dom. §. 23. J. de Rer. div.*

V.

Ultimò si Insula in flumine nata fuerit, non uno modo hoc accidit. Interdum enim mediam fluminis partem tenet, interdum alterius agro proximior est: quod si alterius agro proximior sit, tota cedit iis, qui à parte illa prædia possident: si verò in medio fluminis sit Insula, *juxta l. 29. ff. de acquir. rer. dom.* erit dividenda. Dantur autem multi casus, qui diversas Insularum divisiones requirunt. Bartolus quidem *lib. 3. Tyberiadis* Duodecim casus fingit, & schematibus Geometricis illustrat, ex quibus præcipuos hic repetere, operæ pretium erit.

VI.

Sit flumen, cujus ripæ ſint rectilineæ, Inſula quoque ſit fermè in medio; ducantur ergo primo aliquot lineæ rectæ per Inſulam ad utramque ripam, ita tamen, ut anguli, quos lineæ ducendæ conſtituunt, cum utraque ripa ſint inter ſe æquales; Secundo omnes hæ lineæ transverſim ductæ dividantur in duas partes æquales; tertio per hæc puncta linearum media ducatur linea, quæ utrique ripæ ſuam tribuit Inſulæ partem; quarto producuntur ex utraque ripa fines agrorum, uſque ad mediam Inſulæ lineam. Videatur etiam Theophilus *in paraphraſi Inſt. ad §. 22. J. de Rer. Div.*

VII.

Si ripa ſit curvilinea, tunc rigore definienda eſt aliqua linea recta, quæ vices ripæ curvæ ſuſtinere poſſit, & poſtea juxta præcedentem theſin inſulæ medium inveniatur

VIII.

Si ripa ex una parte ſit cornuta, juxta mentem Bartoli portio ad agrum ripæ acuminatæ ſegmento circuli determinanda eſt: Sit igitur inſula aliqua inter agros Lucii Titii, & Caji, ſi juxta modum antea dictum linea media per flumen ducatur, Titio nulla pars Inſulæ cedet, ſed ex apice agri, qui ad Lucium ſpectat, deſcribi debet circulus qui abſcindit partem Lucio debitam, & Gajo ſuam relinquet portionem.

IX.

Si aliquot Inſulæ diverſis temporibus in flumine naſcantur, & quidem prima proxima. Ripæ Sempronii, illa erit ejusdem quoque Sempronii *per §. 22. J. de Rer. div. l. 56. pr. ff. de acquir. rer. dom.* Si verò poſtea inter hanc Inſulam

ſulam & oppoſitam ripam Mevii ſecunda Inſula nata fuerit, inter Sempronium & Mevium dividenda erit, *per l. 65. §. 1. ff. de acquir. rer. Dom.* Si verò hæc altera Inſula tota conſiſtat citra medium alvei inter Inſulam primam & ripam Mevii, tota iterum erit Sempronii *per LL. antea all.* plures caſus videri poſſunt in laudato Bartoli tractatu *de flumine & Inſula.*

X.

Jam dictis obſtare videtur *l. 65. §. 4. ff. de acquir. rer. dom.* ubi expreſſè dicitur, Inſulam in flumine publico natam, fieri publicam; in præcedentibus verò Legibus tribuitur agris ripaticis. Hotomannus antinomiæ tollendæ gratia inſerit paragrapho ultimo *d. l.* particulam negandi, & legit hoc modo: *Non ſi id, quod in publico innatum &c.* & ſenſum legis talem eſſe cupit, ſtatuente Vinnio *in Comment. ad §. 22. J. de Rer. Div.* Quamvis id, quod in publico naſcitur, aut ædificatur, publicum fiat, tamen Inſulam in flumine publico natam publicam non fieri, ſed privatam. Hotomannum temeritatis arguit Cujacius *in ſuis Obſervationibus*, Vinnius verò rejecta Cujacii cenſura Hotomanni ſententiam Accurſii autoritate confirmat, qui eodem fermè modo in veteribus nonnullis exemplaribus legi teſtatur. Verùm, quia alia ratione hæc contrarietas ſolvi poteſt, non temerè violentam textus correctionem admittimus. Sutholt enim cum aliis JCtis exiſtimat, publicam quidem eſſe, ſed tantum ratione riparum, quarum uſus exponitur *§. 4. I. de Rer. div.* Proprietatem autem & fructus illorum eſſe, qui vicina habent prædia, quod ipſe quoque Labeo teſtatur *l. 65. ff. de acquir. rer. dom.*

XI. Huic

his verbis: *In Gallia Narbonensi campus minuta arundine gracilique perviridis; cæterùm stagno subeunte suspensus: Id manifestat media pars ejus, quæ abscissa proximis, veluti insula natat, pellique se atque attrahi patitur. Quin & ex iis, quæ ab imis perfossa sunt, diffusum mare ostenditur. Unde Grajis nostrisque autoribus verine ignorantia, an prudentibus etiam mendacii libidine, visum est tradere posteris, in ea regione piscem è terra penitus oriri; qui, ubi ex alto huc usque penetravit, per ea foramina ictu capulantium interfectus extrahitur.* Eundem campum quoque describit Polybius apud Athenæum teste Isaaco Vossio *in commentario ad dict. Pomponii Melæ locum*: Haut dissimilia exempla in nostris quoque reperiuntur regionibus, ubi interdum latissimi campi pascui, propter subjectam terram spongiosam, quam vernacula lingua **Moer** dicimus, confluentibus aquis hybernis ita elevantur, ut ab inundatione, cui vicini agri sunt obnoxii, immunes sint.

CAP. VII.

De insulis artificialibus.

THES. I.

Quot species insularum naturalium, tot etiam sunt artificialium. Sicuti ergo in mari à natura interdum producuntur insulæ, ita quoque ab hominibus tales fieri possunt, teste Pomponio *L. 30. §. 4. de acquir. rer. dom.* Et ejusmodi insula statim fit illius, qui ædificavit, nec immeritò, si enim *per. l. 5. §. 1. & l. 6. ff. de Div. Rer.* qui in littore casam vel domum ædificat, soli Dominus constituitur, multò magis, qui molem in mare jactat, ædificii vel insulæ dominus erit.

 II. Li-

II.

Licet autem, propter communem maris usum omnibus hominibus communiter hæc sint licita, interdum tamen ei competit utile interdictum, cui hæc res nocitura sit, *l. 2. §. 8. ff. ne quid in loc. publ.* Idem interdictum quoque locum habet, si littoris marisve usus eo modo deterior futurus sit *L. 3. eod. L. 1. §. 17. ff. de Flumin.* aut etiam si usus publicos impediat *L. 4. ff. Ne quid in loc.* publ. Aliquando quoque damni infecti cavere tenetur, *L. 1. §. 18. ff. de Oper. novi nunciat.*

III.

Si insula in flumine exstruatur, longè aliter se res habet. Nam non facilè conceditur alicui aliquid in flumine publico facere, quo pejus navigetur, *per. L. 1. ff. de Flum.* & hinc per *L. ult. d. tit.* qui in utraque ripa fluminis publici domus habet, pontem privati juris facere, non potest; Aut si aqua aliter fluat, itidem peculiari interdicto structura talis impeditur *L. Un. ff. Ne quid in flum. publ.*

IV

Si autem per talem insulam navigatio non impediatur, distinguendum est inter eum, ad quem utraque vel alterutra ripa pertinet, & eum, qui neutram ripam possidet. Si utraque ripa ad ædificantem spectat, procul dubio ædificans insulæ dominus erit *arg. §. 29. J. d. Rer. Div. & l. 7. §. 10. ff. & acquir. rer. dom.*

V.

Nam licet flumen publicum sit, alveus tamen certo respectu est privatus, utpote qui recedente fluvio non amplius publici juris manet, sed ad privatos riparum dominos spectare incipit *l. 7. §. 2. ff. de acquir. rer. dom. L. 1. §. 7. ff. de Flumin.* Si alterutra ripa ad ædificantem spectat, iterum distinguen-

guendum eſt intèr inſulam, quæ in medio fluminis, & eam, quæ citra medium alveum exſtruitur. Priori caſu videtur dividenda eſſe inter vicinos, poſteriori vero caſu tota acquiretur ædificanti, niſi oppoſitæ ripæ dominus opus novum nunciaverit, aut interdictum, *ne quid in flumine publico fiat, quo aqua aliter fluat*, in tempore oppoſuerit. æquisſimum autem erit ædificantem tali interdicto impediri, quia propter inſulam flumen arctius adigitur ad oppoſitam ripam, eamque facilius deſtruere poteſt: Nemo autem cum alterius damno locupletior fieri debet. *l.10.ff.de Reg. Jur.*

VI.

Si autem quis inſulam ædificet, qui de neutra participat ripa, quatuor DD. Sententiæ inveniuntur, quorum primi *per L.65. §.ult.ff.de acquir. rer. dom.* ſtatuunt inſulam fieri publicam; Alii dicunt inſulam acquiri vicinis riparum dominis, quia quod inædificatur ſolo, cedit ſolo *all. §.29. J. de Rer. div.& l.7. §.5 ff. de acquir. rer. dom.* Alii, inter quos eſt Hilliger ad Donellum, duram hanc interpretationem eſſe putant, & propterea inſulam ædificanti acquiri ſtatuunt, *propter l. 24. pr. ff. de dam. infect.* Denique Gryphiander *cap.20.n.46.de Inſulis* putat ſine licentia Principis vel Magiſtratus de jure civili in littore, mari aut flumine publico nullum magnum opus ædificari licuiſſe *l. 2. §. 16.ff.ne quid in loc.publ. l.24. ff.de damn. infect.*

VII:

Nos pro tempore ſecundam amplectimur opinionem, nimirum de jure civili inſulam in flumine ædificatam pertinere ad illos, qui vicina poſſident prædia, ita tamen ut ædificans certo reſpectu maneat dominus, *per §.30. J. de Rer. div.& l. 7. §.12.ff.de acquir.rer. dom.* ſecundum quam bona

fide ædificans, dominum soli, qui pretium materiæ & mercedes fabrorum solvere detrectat, per exceptionem doli repellere potest; si verò mala fide ædificaverit, totam insulam amittit, potestatem tamen vindicandi materiam, si dissoluta fuerit insula, retinet, nisi donandi animo ædificaverit *l. 2. Cod.de. Rei Vind.* Minimè nobis obstare videtur *l. 2. §. 16. ff. ne quid in loc. publ* quia flumen in eo ab aliis locis publicis differt, quod alveus ejus potest fieri privatus, si à flumine deseratur, aut per alluvionem eminere, & insulam producere incipiat, *l. 1. §. 6. & 7. ff. de Flū.* Alia autem loca publica non tam facilè privata fieri possunt. Quale jus obtineat in insulis quæ in stagno vel lacu ædificantur, haud obscurè ex *cap. V. & cap. VI. th. 7.* determinari potest.

VIII.

Hæc quidem de jure Justinianeo, nec non de jure Saxonico ita se habent, de Consuetudine vero, & Constitutionibus quibusdam recentioribus aliud obtinere videtur, nimirum insulas in flumine publico ædificatas, æque ac fortuito natas ad Principem aut Rempublicam pertinere, *juxta Recess. Imperii Noribergensem ab Adolpho Nassovio promulgatum, & supra cap. VI. th. 13. allegatum.*

IX

Tandem aliquid etiam de insulis natantibus manufactis dicendum esset, sed quia ejusmodi insulæ ferme nihil aliud esse videntur, quam navigia, ideo commodius alio loco de illis agitur, exceptis istis saltem insulis Sinensibus, de quibus supra *cap. VI. th. 2.*

CAP. VIII.

Cap. VIII.

De præcipuis Actionibus, aliisq; quibusdam juribus ad Insulas spectantibus.

Thes. I.

Quemadmodum in bene constituta Republica nulli Civium privata auctoritate rem suam apud alterum existentem proprio ausu ac lubitu rapere fas est, hæcque temeritas & violentia variis & gravibus pœnis compesci solet, *uti liquet ex l. 7. C. Unde Vi. l. 13. ff. quod. met. caus. l. 7. C. ad L. Jul. de Vi publ* ita quoque, si jus, quod circa insulam habemus, inique lædatur, competente & à Legibus definito remedio uti, & jus nostrum persequi debemus.

II.

Primo igitur, si insula, quæ proximè fundo meo adjacet, & ita ad me spectat *per l. 7. §. 3. ff. de acquir. rer. dom. §. 22. J. de Rer. div.* ab alio detineatur, ego, qui insulæ dominus sum, adversus possidentem instituere possum Rei vindicationem *l. 25. ff. de. Obl. & Act.* Possessor vero probationem dominii, quod in insulam habeo, à me exigit, *l. 2, 21, & 22. ff. & Probat.* quod cum præstiti eò scilicet, quod ista insula proxime adjacet fundo meo *per all. §. 22. J. d. Rer. div. & l. 7. §. 3. ff. de acquir. rer. dom.* à possessore insula mihi restitui debet *l. 9. ff. de Rei Vind.*

III.

Eâdem ratione Publicianam & Rescissoriam Actiones instituere possunt, quibus amissam possessionem sibi restitui quis petit, & quidem priore non Dominus adversus quem-

 cun-

cunque possessorem *l. 1. & 13. ff. d. Public. in rem. act.* excepto vero domino, *L. ult. ff. eod.* agit, posteriore autem verus dominus, qui, dum ex probabili causa absuit, & ita possessionem amisit, eam sibi restitui cupit, *§. 5. J. de Act. & ibi Vinnius, L. 18. C. de Postlim. l. 24. C. de Rei Vind.*

IV.

Prædictæ hæ Actiones competunt, si totius insulæ possessio amissa sit, si vero quis partem solummodo insulæ possideat, & pars hæc à vicino occupetur, vel etiam fines agrorum sint obscurati *l. 8. ff. fin. regund.* & ita vicinus terminos suos egrediatur, Finium regundorum actio institui potest. *L. 2. §. 1. ff. d. t.* Quâ institutâ arbitri sunt constituendi, *L. 7. ff. eod.* qui una cum mensoribus finium quæstionem dirimant *L. 8. §. 1. ff. eod*: vel etiam, si evidentioribus finibus distingui agros commodius sit, quam olim fuissent distincti, tunc necesse est, ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adjudicare, quo casu conveniens est, ut is alteri certa pecunia debeat condemnari, *§. 6. J. de Offic. Jud.*

V.

Restant plurimæ aliæ Actiones, quæ ratione insularum institui possent, sed cum illæ *in tit. J. de Act. & Pandectis* passim occurrant, eas hîc repetere nolumus.

VI.

Porro alia de insulis in flumine natis quæstio oritur ratione census augendi; si scilicet quis conduxerit, vel jure emphyteutico possideat agrum cum ripa fluminis, in cujus confinio insula nata fuerit, dubitari potest, an annuus census propterea augeri debeat. *Juxta l. 3. C. de Alluv.* De incremento alluvionis separatim census exigi non potest, *per l. 2. eod.* verò census proportionaliter ampliari debet; videatur

Brun-

Brunneman *in C. ad d. LL.* quemadmodum per insulas censum augeri æquum est, ita è contrario quoque si insula ad agrum emphyteuticum spectans perierit, canon quoque minui debet, *arg. l. 2. C. de Alluv.*

VII.

Occasione insularum de deportatione & relegatione in eas pauca hic subjungi possunt, quæ apud Romanos admodum frequentes fuerunt: fuit autem deportatio species mediæ capitis diminutionis, quâ quis civitatem amittebat, salva libertate *l. 15. ff. de Interd. & releg. §. 2. J. de capit. dimin.* hinc deportatus neque testamentum facere, neque ex testamento aliquid capere poterat *l. 16. ff. d. tit. l. 8. §. 1. & 2. ff. qui test. fac. poss.* neque ipsis licebat contractus civiles celebrare, contractus vero juris Gentium inire poterant *l. 15. ff. de Interd. & releg.*

VIII.

Relegatio in insulam neque libertatem neque civitatem tollebat, sed integrum statum relinquebat *L. 5. 7. & 18. ff. d. tit.* hinc testamentum facere & ex testamento etiam aliquid capere poterant, *L. 8. §. 3. ff. qui test. fac. poss.* liberos in potestate retinebant *d. l. 18. ff. de interd.* Sic D. Johannes Apostolus & Evanglista sub Domitiano in insulam Pathmum relegatus est. *Apocalyps. 1. v. 9. Euseb. hist. Ecclesiast. Lib. 3. cap. 13. & 14, & alii*

IX.

Deportatio autem ab Augusto Cæsare in locum aquæ & ignis interdictionis introducta est *Dion. & L. 2. §. 1. ff. de Pœn. & ibi Gothofred.* hodiè verò ab usu recessit *teste Joh. Sichard. ad L. 1. C. de hered. instit.* & ex communi DD. opi-

nione ei æquiparatur bannum Imperii, Germanicè die Acht. *Philippi in Usu pract. Inst. Lib. 1. Eclog. 75.*

X.

In exteris Regnis & Rebuspubl. nonnullis deportatio interdum frequentatur, quæ tamen in quibusdam â deportatione apud Romanos usitata differt: sic tempore Cromvvellii multi homines in insulas Americanas deportati fuerunt, qui tamen, cum tanquam mancipia venditi fuerint, potius sub jugum missi, quam deportati videntur. Inter ejusmodi deportatos quoque fuit Nobilis quidam Germanus Henricus ab Uchteritz anno 1652 in insulam Barbados transmissus, cujus captivitatem & liberationem in lucem edidit Adamus Olearius. Belgarum Archigubernii interdum quoque nautas vel milites in navibus delinquentes, simili pœna afficiunt, & in insulas remotissimas exponunt. Num Alphonsus Rex Lusitaniæ in insulam Terceram deportatus, relegatus, vel sub alio titulo transmissus sit, aliis, quibus Regni Lusitaniæ status perspectior est, quam nobis, determinandum relinquimus.

Quam plurima alia de hac materia restant, quæ hic adduci possent, verùm ne Dissertatio hæc tyrocinii Academici fines transgrediatur, aut etiam ab aliis, inter quos eminet Johannes Gryphiander, exactissimè & satis prolixè perscripta, a nobis tædiosè repetantur, & sic actum agatur, finem huic Dissertationi imponimus, & cupidum Lectorem ad laudatos Autores remittimus.

D. S. G.

ctores contrarium statuere dicantur â Dno. Carpzovio, quos non tantum autoritate aliorum Doctorum, sed etiam Sententia quadam, qua Jurisdictio in ejusmodi insulas expressè reservatur Principi, revellit, *Jurispr. Forens. p. 3. Const. 31. Def. 12. Verba sententiæ sunt:* daß Vermöge der Rechte dem Chur-und Landes-Fürsten/unserm gnädigsten Herrn die Ober-und Erbgerichte/auch alle Regalien und Fürstliche Hoheiten/ nicht allein auff dem alten Elbstrom/ sondern auch auff dem Neuen/ den die Elbe zwischen Pulßwerda und Wesenig gemacht/ und zugleich auff allen darinn angelegten Werdern zuständig &c.

XIV.

De jure novo flumina non amplius sunt publica, sed inter Regalia referuntur *Lib. 2. Feud. tit. 56.* Hinc insulæ quoque in flumine natæ ejusdem juris esse videntur, & ita in Camera Imperiali pronunciatum esse, testatur Sixtinus *citante Georgio Schultz in Synopsi Inst.* Adolphus Nassovius Imperator Noribergæ anno 1293 de Insulis Rheni, *teste Goldasto Tom. 1. Const. Imper.* ita constituit. Quod si Insula nata est in Rheno, vel alio flumine, in Comitatu alicujus Comitis, qui in ipso flumine recipit telonia & conductus, habetque Comitatum eundem, telonia & conductum ab Imperio in flumine prædicto, eadem Insula potius spectat ad Imperium, & ad ipsum Comitem, quam ad alium

sum statuant. Jus Saxonicum *Lib. 2.* Landrecht *art. 56.* juri communi seu Justinianeo hac in parte accedit.

XV.

Augustus Elector Saxoniæ verò jus vetus hac in parte correxit, & secundum hoc jus novum ICtos Saxonicos respondisse, testatur laudatus Dominus Carpzovius *d. C. 31. def. 13.* ubi sequentem sententiam allegat: so bleiben nicht allein die Werder/ so daß Ambt über rechts verwehrte zeit im Gebrauch und Besitz gehabt / sondern auch die andern / so zu folge höstgedachtes Churfürst Augusti Befehls / (den seiner Churfürstlichen gnaden der Werder halber / so künfftig sich anlegen werden / aus Churfürstlicher Macht und Hoheit wol thun können) noch wol eingezogen werden / weil sonderlich die Nutzung derselbigen zu Erhaltung der Ufer-gebeuden / und also gemeines Nutzens halber angewendet wird / mehr bemeltem eurem befohlenen Ambt billich / V. R. W.

XVI.

Nec obstat, quod alveus à flumine relictus non Principi, sed vicinis cedat, testibus D. Philippi *in usu practico Inst. Eclog. 8.* ubi sequens Scabinorum Lipsiensium responsum adducit: da der Elbstrom sich an einen andern Orth wenden / und einen neuen Strom machen / aber dennoch daneben mit dem Orth / da der alte Strom gegangen / es diese gelegenheit haben würde / daß deß ohrts nur lachen und stille Wasser / oder so wenig fliessenten Wassers bleiben würde / das es männiglich vor keinen rechten Wasserstrom des Elb-flusses achten könte / so hetten sich die benachbahrte / so an beiden seiten Güter daran liegen haben / mit der fischerey / und aller anderer Nutzung solches

Wasser-

Wasserbauchs anzumassen guten fug / was aber die Gerichte des Ohrts anlanget / bleiben dieselbe unserer Herrschafft billig / V. R. W. Necnon Dominus Carpzov. *d. C. 31. Def. 14. & 15.* ubi duo responsa adducit, quorum prius sic clauditur: So ist solcher außgetrucknete Wasserbauch euch und den jenigen / derer Güter des Ohrts von beyden seiten daran stossen / eigenthümlichen zugewachsen / &c. V R. W. posterius autem ita se habet. Da aber künfftig das stromigte Wasser des Ohrts sich gar verlieren / und auff beyden seiten des Wassers vertrucknen würde / so hetten des vertrucknetenn Wasserbauchs die jenigen / derer Güter daran gelegen / sich zu gleich an zumassen gut fug / V. R. W.

XVII.

Legislatores, qui Insulas privatis concedunt, æquitatem in eo respiciunt. Quia enim propter insulam in medio natam flumen ad utramque ripam arctius adigitur, & sic riparum terminos transgreditur, ideo damnum hoc per acquisitionem insulæ compensandum est, *juxta L. 10. ff. de Reg. Jur. & arg. L. 1. §. ult. ff. de acqua. & acqua. plu. arc.* Illi verò, qui insulas recens natas Fisco, vel Principi adsignant, pro ratione possunt adducere ea, quæ habet Grotius *de J. B. & P. Lib. 2. cap. 8. n. 5.* Germaniæ autem, inquiens, Populi, cum regibus bona quædam essent adsignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimârunt, ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possent, cujusmodi sunt res omnes, quæ in

Cap. V.

De Insulis in lacu vel, stagno natis.

Thes. I.

Stagnum; teste Ulpiano *L. Un. ff. Ut in flum.* differt â lacu, quod hic perpetuam habeat aquam, illud vero temporalem contineat, ibidem stagnantem, & quidem plerumque hyeme coactam.

II.

Licet autem de ejusmodi insulis nihil certum determinatum reperiamus, haut obscurè tamen ex jure alluvionis colligere possumus, Insulas in lacu vel stagno natas spectare ad eum, ad quem pertinet ipse lacus: Si ergò lacus est publicus, insula quoque erit publica. Si verò lacus sit privatus, insula ejusdem etiam juris erit. Lacus enim & stagna licet interdum crescant, interdum exarescant *L. 12. ff. de acquir. rer. dom.* suos tamen terminos retinent: ideoque in his jus alluvionis non agnoscitur, nec unquam accessionem aut decessionem in eos vicinis facere licet, *L. 24. §. ult. ff. de acqua. pluv. arcend. L. 69. ff. de contrah. empt. L. 12. ff. de acquir. rer. dom.*

Cap. VI.

De Insulis natantibus

Thes. I.

Insulas natantes vocamus, quæ instar navigii in aquis vehuntur, suntque vel artificiales vel naturales.

II.

Artificialium mentionem facit Nienhoff *in descriptione*

Lega-

Legationis ad Chamum Sinensem pag. 126. Ubi describit pagos, ex ducentis circiter familiis constantes, qui fluvio Sinensi propter flavum colorem dicto croceo innatant. Fundamenta ex juncis, quos Lusitani bambos vocant, constructa sunt, Incolæ illarum Insularum pro lubitu suum pagum cum omnibus ædificiis, ripis appellunt, & tamdiu alligant, quamdiu negotia exercere possunt, quo facto insulam solvunt, & ad alium locum trajiciunt: Ejusmodi insulæ procul dubio spectant ad illos, qui eas composuerunt, non aliter ac navigia eorum sunt, qui ea ædificare curârunt.

III.

Insulæ naturales natant vel in mari, vel in lacu, vel in flumine; Marinæ admodum sunt raræ, non tamen prorsus negandæ, præsertim cum veteres nonnulli testentur. Delon insulam & omnes Cyclades olim innatasse mari Ægeo, sive Archipelago. Unde Ovidius *Lib. 6. Metamorph. fab. 4. de* Latona sic loquitur:

Quam vix erratica Delos
Errantem accepit tunc cùm levis insula nabat.

Imò Thales Milesius totam tellurem ejusmodi Insulam natantem esse putavit. *Seneca Libr. 6. Natur. Quæst. cap. 6.* Si ergo talis insula inveniatur, de jure Justinianeo cedit occupanti *arg. L. 7. §. 3. ff. de adquir. rer. dom. & §. 22. J. de rer. Div.* Si vero jure recentiori insulæ marinæ Regalibus accenseantur, â privato occupari nequeunt: Sed ad Imperatorem aut Regem, aut alium Principem sive Rempubli-

quia enim aquæ profluentes ſemper ad oceanum decurrunt, neceſſario quoque tales inſulas eò abripi neceſſe eſt, niſi impedimento quodam retineantur. Dari tamen poſſe tales inſulas Paulus *L. 65. §. 2. ff. de acquir. rer. dom.* ſtatuit, & easdem, quamdiu fluctuant, propemodum publicas eſſe contendit, his verbis: *Si qua Inſula in flumine publico proxima tuo fundo nata eſt, ea tua eſt. Paulus, videamus ne hoc falſum ſit de ea inſula, quæ non ipſi alveo fluminis cohæret, ſed virgultis, aut alia qualibet levi materia ita ſuſtinetur, ut ſolum ejus non tangat, atque ipſa movetur. Hæc enim propemodum publica, atq; ipſius fluminis eſt inſula.*

V.

Non autem ſimpliciter, ſed ſaltem ſecundum quid publicam ſtature videtur ideo, quia primò præcipuo riparum uſu deſtituitur, qui conſiſtit in appulſu & alligatione navium, deinde quia talis inſula facillimè alicujus propria fieri poteſt *per §. 21. J. de Rer. div. L. 7. §. 2. ff. de acquir. rer. dom.* Si ſcilicet ripæ adhæſerit & arbores in fundo illo radices egerint. Si enim *per alleg. L L.* pars fundi alterius abrupti hoc modo acquiritur vicino, multò magis ejusmodi inſula, quæ propemodum publica eſt, acquiri poteſt.

VI.

Inſulæ natantes in lacubus & ſtagnis frequentiores & plures reperiuntur, quam in fluminibus & mari, quarum tàm veteres, quàm recentiores Geographi & Hiſtorici aliquot exempla recenſent. Pomponius Mela *de Situ Orbis Lib. 1. cap. 9.* Nec non Herodotus, Plutarchus, & alii in Ægypto lacum eſſe, in quo inſula Chemmis lucos ſylvasque & Apollinis grande ſuſtinens templum nataverit, & quocunque venti egiſſent, pulſa ſit: Seneca *lib. 3. Natur. Quaſt. cap. 25.*

Theo-

Theophraſtum allegat, qui inſulas pumicoſas in Lydia natantes reperiri ſtatuit: ipſe etiam Seneca ad Cutylias in agro Reatino Sabinorum ſitas, inſulam natantem ſe vidiſſe teſtatur, quæ arbores habeat, herbas nutriat, in hanc atque illam partem non tantum vento, ſed & aura, & levi flatu impellatur. In Vadimonis lacu, nec non ſtationenſi ejusmodi inſulas vehi Seneca itidem *d. l.* teſtatur. Inſulas lacus, nomine Vadimonis, hodie *Laco di Viterbo*, aliis *di Baſanello* dicti, non procul ab urbe Roma, elegantisſimè deſcribit Plinius Junior *lib. 8. Epiſt. 20. Lacus eſt in ſimilitudinem jacentis rotæ circumſcriptus & undique æqualis, nullus ſinus, obliquitas nulla, omnia dimenſa, paria, & quaſi Artificis manu cavata, & exciſa. Color cæruleo albidior, viridior & presſior ſulphuris, odor ſaporq; medicatus, vis qua fracta ſolidantur, ſpatium modicum, quod tamen ſentiat Ventos & fluctibus intumeſcat. Nulla in hoc navis (ſacer enim eſt) ſed innatant inſulæ herbidæ, omnes arundine, & junco tectæ, quæq; alia fœcundior palus, ipſaque illa extremitas lacus effert, ſua cuique figura, ut modus cunctis margo deraſus, quia frequenter vel littori, vel ſibi illiſæ, terunt, teruntur que. Par omnibus altitudo, par levitas: quippe in ſpeciem Carinæ humili radice deſcendunt. Hæc ab omni latere perſpicitur, eâdem aqua pariter ſuſpenſa & merſa. Interdum junctæ, copulatæque & continentis ſimiles eunt, Interdum diſcordantibus ventis digeruntur, non nunquam deſtitutæ tranquillitate ſingulæ fluitant. Sæpe minores majoribus velut cymbulæ onerariis adhæreſcunt, ſæpe inter ſe majores, minoresque quaſi curſum cer-*

medium tenuere, non contrahunt. Constat pecora herbas secuta, sic in Insulas illas, ut in extremam ripam procedere solere, nec prius intelligere mobile solum, quam littore abrepta, quasi illata, & imposita circumfusum undique lacum pavent. Mox quo tulerit ventus, egressa non magis se descendisse sentire, quam censerint ascendisse. Idem lacus in flumen egeritur, quod ubi se paulisper oculis dedit, specu mergitur, alteq; conditum meat, ac si quid ante quam subduceretur, accepit, servat & profert. Gassendus *in vita Peireskii lib. 4. pag. 134.* de insulis in lacu quodam Flandrico natantibus ita scribit: *Caterùm nihil gratius habuit*, (sc. Peireskius) *quam quod simul legit, exstare ad lacunam illam Audomaropolitanam* (hodiè *S. Omar* audit) *insulas natantes, qua veterina & homines ferant, & quibus alni, salicesq; latis frondibus innascantur. Voluit proinde, ut biennio post, cum illuc iter facerem, spectarem illas curiosius, referremque, quicquid id esset. Prastiti id autem, ac interim ramulum transmisi, quem decerpseram ex non humili salice, suo cum fundo simul natante:*

VII.

Cuju. sint istiusmodi insulæ in lacubus natantes, facilè *ex cap. V.* determinari potest, nempe esse ejusdem juris, cujus est ipse lacus. Quia enim per all. L L. in lacubus alluviones nullum habent locum, ideo quoque nemo vel fixas, vel natantes insulas in stagnis acquirere potest; Si ergò lacus est privati alicujus, ad eundem illa spectabit, si verò lacus est publicus, insula itidem erit publica.

VIII.

Occasionem harum insularum natantium silentio prætērire non potuimus, partes quasdem terræ continentis natantes, qualem describit Mela *de situ Orbis Lib. 2. cap. 5.* his